


**1984**

**A**

**6277**









293 p  
G. B.  
1870





8121

DISPUTATIO THEOLOGICA  
*De*  
**PROVIDENTIA DEI,**

*Quam*

*DIVINA FAVENTE GRATIA,*

*PRÆSIDE*

*Viro Plurimū Reverendo, Clarissimo, Doctissimo*

**HENRICO FLOCKENIO**

Iesu Christi servo, S. S. Th. D. & ejus-  
dem facultatis in illustri Schola Bremensi Profes-  
sore meritissimo, Præceptore suo multis  
nominibus æternūm colendo,

*Publicè defendendam proponit*

**BERNHARDUS HERRIUS,**

Dessâ-Anhaltinus.

*Author & Respondens.*

*Die 12 Kalendar. Septembris, horis locoq; consuetis.*



19

**B R E M Æ,**

Typis BERTHOLDI de VILLIERS ibidem illustris  
Gymnasii Typographi, Anno 1658.

DIGENITATIS THEOLOGICAE

PROLUDIUM IN DE

ARTUS GERTRADI  
HALLE (SAXONIA) 1888



BIBLIOTHECO LIBROCRIBIO

84 A 62.977

Reichsbibliothek Preußischer Kulturbesitz

Deutsche Meisterwerke des Buchdrucks

Monographie der Buchdruckerkunst

ERINHARDUS HERRIUS

Debet-Applause.

Carola G. Körber

AN DER UNIVERSITÄT HANNOVER



LIBRARY

Deutsche Meisterwerke des Buchdrucks

Germania Typographica, anno 1888

ALLEGORICIS ET METAPHYSICIS  
SCHOLIAS ET COMMENTARIOS  
AD VITAM ET MORUM  
PRAECEPTA ET MANNUS  
CIVILIS ET MORALIS

*ILLUSTRISSIMIS AC CELSIS-  
SIMIS PRINCIPIBUS,*

**PRINCIPI LEBRECHT,**

AC

**PRINCIPI EMANUEL,  
PRINCIPIBVS ANHALTINIS,  
Comitibus Ascaniæ, Dominis Ser-  
vestæ ac Bernburgi, Principibus ac Do-  
minis meis Clementissimis.**



Uum, Illustrissimi atq; Celsissimi  
PRINCIPES, in Religione omnis Re-  
ipub. salus æquè æterna ac temporalis resi-  
deat, adeò ut sinè illâ vel consistere, vel be-  
ata prædicari quoquo modo haud possit, quid mirum,  
quod in eam omnem operam locarint etiam gentiles,  
quo eam acquirerent, & acquisitam constanti ac arden-  
tizelo promoverent atque tuerentur. Hinc liberali manu  
effuderunt, quæ ad sacra & eorum ministros sustinendos

A 2

per-

pertinebant, ipsam, quam fovebant religionem à peregrinis immunem conservare nunquam non studuerunt, imò contra veritatis hostes (nam & veritatem se habere autumârunt) summo nixu defendebant: Quod evidenterissimè conspici potest in Romanis & Atheniensibus; legibus enim cautum erat apud eos, ne quis novas in urbem introduceret Religiones, aut alios Deos præter patrios, vel etiam alio quām patrio more coleret: teste Livio lib.

4. & 25. Tanti duxere Religionem, ut omnem in ipsâ beatitudinem volvi arbitrati fuerint: quod Livius exprimere videtur lib. 5. ubi ait: *Omnia prospéra evenire colentibus Deos, adversa serpentibus*: Id persuasi, quid non in sacrorum gratiam, quid non propter Religionem sustinuerunt? certè non minus alacriter & constanter pro eâ, ac pro ipsâ vitâ & Patriâ dimicârunt. Annon satis id conspicuum ex Adagio ipsis trito: *Pro aris & focis,*  
*quod ut pium ita sanctum est, & dignum,* ut non minus hodiè etiam sanctum habeatur & sancte observetur. Neque enim putandum frustrà ipsos sacra Patriæ adjunxisse, aut ipsi etiam patriæ prætulisse: Profectò gravissima eos causa permovit; arctissimo enim & indissolubili vinculo Religionem & Patriam libertatem conjunctam firmissimè credebant, adeò ut remotâ atque dirutâ religione, libertas patria ultrò ad ruinam vergeret; atq; omnino impossibile esse, hanc sine illâ immotam fixamque suo loco consistere posse. *Quidverò ipsis gratius libertate patriâ,*  
quin

qui in modo maluerunt potius mortem oppetere, quam istius violationem admittere. Quam facile egregium aliquod ædificium corruit, nisi columnis & bono fundamento optimè munitum sit, æquè facile salus Reip. turbatur, libertas patria amittitur, nisi Religione fulcro validissimo & tutissimo stabiliatur. Hæc sanè non levis, sed gravissima est causa, quæ Principes ac Retumpub. Moderatores in universum omnes obligare poterit, ut reliquis posthabitibus ante omnia de DEI cultu atq; puriore Religione solliciti sint; cui adstipulatur Lipsius i. Politic. cap. 2. ubi sic ait: *Nosse ante omnia summum istud numen (quatenus homini datum) oportet: & cognitum piè pureq; venerari.* Non ignorarunt hoc quovis tempore piissimi Reges ac Principes, videlicet quod, nisi Dominus civitatem custodiat, frustra sedulò excubat custos Psal. 127. v. 2. inter quos David, Iosaphat, Ezechias & quotquot alii feliciter regnârunt: Quapropter etiam circa Religionis instaurationem potissimā ipsorum curam fuisse legimus.

Neque secula nostra sterilia fuere, quippè nunquam defecerunt piissimi Reges atq; Principes, qui maximam semper Religionis rationem habuerunt, ut non tantum varia propter ipsam incommoda sustinuerint, verum egregia etiam ex suis ærariis ad sustentandos Ecclesiarum vigiles & promovenda juventæ sacra studia constituerint stipendia, ne Ecclesiis deessent, qui modum rectè DEUM cognoscendi docerent, atq; rationem sincerè & ritè eundem colendi fideliter traderent.

A 3

Fue-

Fuerunt inter alios maximè celebres ad præsentia usque tempora PRINCIPES ANHALTINI, à plus quàm mille & quingentis annis ita dicti, Prudentiâ, Sapientiâ, Eruditione, & Fortitudine semper Excellētissimi, veri studiorum maximè sacrorum & Religionis Cultores & Patroni, qui omnibus temporibus nihil magis intenderunt, quàm, ubi veritatis gratissima lux illis effulsit, ut puram Apostolicam doctrinam foverent, defenderent & sacra studia liberali suâ Mūnificentia promoverent. Exemplar egregium (quod de prædicare satis haud sufficio) exhibetur nobis in Illustriſſimo ac Celsiſſimo PRINCIPE AUGUSTO, PRINCIPE Anhaltino, Comite Aſcaniæ, Domino Servestæ ac Bernburgi püiſſimæ memoriæ, qui ſicut ipſe Eruditissimus, ita singulari Gratia ſemper viros doctos eſt complexus; imprimis Religioneſanctè ſemper habuit, cuī ad extreſum vitæ halitum constantiſſimè adhæſit, imò in vitâ etiam omni ad illam promovendam nervos intendit. Arguit hoc maxime insignis Clementia, quam ministris Ecclesiærum per totam vitam exhibuit, tum memorabile factum, quo ante beatissimum obitum SS. Theologiæ studiosis, ne studiorum fila justo citius abrumperent, ſed  
yasa

vasa electa evaderent, quibus & Scholæ & Ecclesiæ aliquando gaudere possent, Illustre stipendium laudabiliter legavit, quod non tantum ratione præstantiæ, sed & propter piissimam intentionem Piissimi Fundatoris, jure AUGUSTÆUM dici commeretur. Egregium sanè exemplum Munificentia & Humanitatis PRINCIPE dignissimum & æternæ memoriæ consecrandum. Quid enim possit esse sanctius, quid præclarius eo, quod fit in DEI Gloriam & Ecclesiæ emolumentum? Tale DEO T.O.M. gratissimum sacrificium & dulcissimus odor, idq; solum non in hâc vitâ, sed & in beatâ illâ æternitate gratis oculis respicit & remuneratione maximè largâ dignatur.

Vos autem, PRINCIPES Illustrissimi, Celsissimi, quia Domini Parentis Vestri laudissimæ memoriæ vestigia, videlicet Fortitudinis, Pietatis, Munificentia, Clementia premere, atque non minus ministros CHRISTI & sacrorum studiosos singulari Gratiâ complecti nôrunt omnes, eandē Clementiam & mihi de Vobis sum pollicitus, illâq; nitens, hanc de Providentiâ DEI exercitationem, ut studiorum meorum primitias, devoto ac humili animo C.C.V.V. offerre, consecrare, atq; dicare

non

non sum veritus. Et magis magisq; quidem me ad id ex-  
 citavit **Clementia** illa peculiaris, quâ parentem me-  
 um, ministrum Vestrum à multis annis, ut & totam no-  
 stram familiam usq; prosequuti estis, ita ut nulli alii, quâm  
**C.C.V.** hoc meæ observantiae testimonium debere ex-  
 istimaverim. Pro illâ itaque **Vestrâ** singulari erga  
**Musas Clementiâ**, hanc disputatiunculam (non  
 quidem prò materiæ dignitate elaboratam) Clementi  
 vultu à Cliente Vestro humillimo acceptare dignemini.  
**Quod** verò in me est, intimis animi suspiriis **DEUM**  
 precor, ut in **DOMUM VESTRAM AUGUSTAM** cor-  
 nucopiæ omnigenæ benedictionis, tam corporalis, quam  
 spiritualis effundat, **C.C.V.** pacem atq; valetudinem  
 prosperrimam eamque perennem, in omnium, maxi-  
 mè Scholarum & Ecclesiarum salutem per plurimos an-  
 nos largiatur, Amen. Dabam BREMÆ, VII. Kalend.  
 Septembris, Anno reparatæ salutis 1658.

### Celsitud. Vestrarum

Devotus atq; Humillimus Cliens

BERNHARDUS HERRIUS,  
 A. & R.



DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE PROVIDENTIA  
DIVINA.

§. I.

**P**rovidentia à providendo sic dicta, diversè in sacris usurpatur (1) significat πρόγνωσις, præcognitionem, præscientiam seu prævidentiam, estque interna intellectus actio, per quam, quod futurum est, antevidetur quām fit. (2) προβοία, provisionem seu curam alicui prospiciendi sive consilium vel decretum notat, h.e. sapientem rerum ad bonū finem destinationem, præfinitionem seu præordinationem, & sic non tantum ad intellectum sed & ad voluntatem restrin gitur: Nonnunquam etiam aliquantò latius extenditur, & non solùm præscientiam quæ ad intellectum, & præordinationem, quæ ad voluntatem refertur, sed & ipsam executionē notat, Esa. 14. v. 26. 27. & 46. 10. Psal. 33. v. 11. Dan. 4. v. 32. Act. 4. 28. (3) δεοίκησις, ipsum actum, sive actualem & temporalem tām conservationem, tām gubernationem, ad quam duo requiruntur (4) mediorum adæquatorum procuratio ad consequendum finem (5) Noxiorum Cautio & Remotio.

§. II.

Providentia Dei interdum accipitur pro decreto, quale fuit de creando mundo, antequam existeret: De creando homine, Gen. 1. 22. de salvando genere humano per Christum,

B

Es. 53.

Ef. 53. 10. II. 12. ejusmodi est decretum Regenerationis, justificationis, sanctificationis, glorificationis. Interdum pro operre externo voluntatis, nimisrum pro execuzione decreti, quæ in tempore in actum dedit, quod ab aeterno in Consilio voluntatis suæ exsequi constituit, Eph. I. II. Tale erat opus creationis, Gen. I. Conservationis, Gubernationis, Act. I7. v. 25. 28. missio Filii Dei in carnem, Gal. 4. 4. Luc. 2. Missio Spiritus S. Actor. 2. vs. 2. 3. 4. Nonnunquam pro utrisque conjunctim capitur.

### §. III.

Esse vero divinam Providentiam, haud facile quispam, nisi extremæ impietatis aut Atheus sit, inficiabitur, qui vel Scripturam S. admittere, vel etiam naturæ immutabilem ordinem attendere nolit, contra quem disputare, non operæ pretium autumo, siquidem etiam contra conscientiam pronunciat in quâ longè aliud edoctus est, Rom. I. 19. 20. 21. Deus enim ipse digito suo conscientiæ & cordi cuiusvis hominis eam notitiam insculpsit: Dein ex libo conaturæ, qui tria insignia folia habet, Cœlum, Terram & Mare, sat super que constat, tanta non fortuitò in tanto ordine existere & continuari. Hinc Cicero: *Quid potest esse tam apertum tamq; perspicuum, quum cœlum susspeximus cœlestiaq; contemplati sumus, quam esse aliquid numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur lib. 2 de Nat. Deor. & ibidem:* *Si concedimus intelligentes esse Deos, concedimus etiam esse providentes, & quidem rerum maximarum. vide etiam Psal. 135. v. 5. 6. 7. & 148. Act. 14. vs. 17. Psalm. 19. vs 1. 2.* Non enim Deus operum suorum otiosus adspector est, quin eorum commiseratione dicitur, eorum curam gerit, illa in ordine suo conservat & regit, novit enim optimè illa per se sine ipsius Providentiâ & inspectione ne per momentum consistere valere, Ps. 145. 9. & 147. 8. 9.

### §. IV.

## §. IV.

Intelligimus verò heic providentiam Dei, non tantum  
quat: *decreta eternum notat*, sed & *ipsam decreti ex-  
ecutionem*, quā Deus ab æterno in consilio sanctissimæ suæ vo-  
luntatis, quid in tempore fieri debeat, decrevit, & in plenitu-  
dine temporis id quod ab æterno ab ipso decretum jam est, a-  
ctu exequitur: frustra enim decrevisset, nisi in actum dedu-  
ceret, quæ decreta sunt.

## §. V.

*Providentia est opus Dei Patris, Filii & Spiritus sancti eternum,  
liberrimum, immutabile, Sapientissimum, justissimum, quo omnia in-  
 omnibus Deus secundum consilium & decretum aeternū voluntatis sue  
bona efficit, mala pœna infligit, mala verò culpæ fieri permittit, diri-  
git & determinat, in nominis sui gloriam & electorum salutem.*

## §. VI.

*Eternum opus esse dico, quia nulla in Deo ignorantia. 2.  
quia nullum cognitionis incrementum. 3- quia nulla con-  
siliī & voluntatis ipsius mutatio, Es. 46. 10. 11. Eph. 1. 4. Liber-  
rium 1. quandoquidem potuisset aliter decernere, ut qui  
nullā ad hoc decernendum necessitate fuit compulsus: Ipse  
enim ut summus & omnipotens & ut agens liberrimum, non  
agnoscit necessitatem se superiorem, quā ad agendum oblige-  
tur, Psal. 115. 3. Job 9. 2. 3. 12. Jerem. 18. 6. Rom. 11. 34.  
Philipp. 2. 13. Rom. 9. 16. 18 19. 20 21. Contra Stoicos, qui  
à fatali necessitate omnium rerum administrationem pende-  
re volunt, cum tamen solus Deus atque ipsius liberrima vo-  
luntas cuncta administratione suâ regnet, inde etiam 2. me-  
diis à se ordinatis ita utitur, ut & absq; eis immediate agere  
possit, cum ipsi placet, quippe causis naturalibus non est ad-  
strictus. *Immutabile* siquidem neque error, neque variatio  
consilii in Deum cadit, quicquid ab æterno liberrimè decre-*

vit, id etiam in tempore constantissimè exsequitur, Rom. 11.29. Eccl.3.15. 1. Reg.15.29. Es.46.10. Neque quisquam ejus voluntatem impedire potest, quo minus ea, quæ ab æterno decrevit, in tempore expediatur, Rom.9.19. Job.11.10. Omnia itaque in mundo quæ fiunt respectu decreti Dei necessariò fiunt, quia sic Deus liberrimè semel, ut fierent, decrevit, Esa.14.27. *Sapientissimum*, quia optimè omnia, etiam confusa maximè, quæ ita nobis videntur, pro beneplacito disponit & ad bonum finem perducit, Gen.45.5. 7.8. & cap.50.20. Contra Epicuræos, qui omnia casu & fortuitò in mundo existere & conservari statuunt, contra illud Psal.33.13.14.15. *Justissimum*, quia omnis justitiae regula voluntas Dei est. Tob.9.2.3. Ps.119.137. Rom.9.14. *Bona efficit*, nec ab omni operatione & curatione vacat, sed illa, quæ creavit, suâ præsentia & continuâ providentiâ servat & movet: Et sicut ipse fons inexhaustus est omnis bonitatis (quandoquidem nemo bonus ac ipse solus, Matt.19.17.) ita non est bonum in rerum universitate nisi in ipso, ab ipso & per ipsum, Jac.1.17. Rom.11.36. *Mala pœna infligit*. Amos cap.3.6. 2.Reg.12.11.18. 2.Reg.16.11.21.22. Esa.45. vs.7. Sunt autem mala pœnæ omnis destructio seu affectio, creaturæ rationalis, quæ Deus punit peccata: ad mala itaque pœnæ referuntur dolores, morbi, cruciatus, calamitates, persecutio, mors, item peccata sequentia quibus puniuntur antecedentia. Mala culpæ fieri permittit, Gen.3.6. & 4.8. & 6.2.3.4.5. 1.Reg.28.7.8. Marc.14.45. 2.Reg.3. vs.27. Hinc Augustinus: *Intelligendum est omnia vel adjuvante Domino perfici, vel deserente permitti*, ut intelligas tamen nolente Deo nihil prorsus admitti, cap.15. de prædestin. & gratiâ. Circa mala autem culpæ Dei providentia occupatur diversimodè (1) ipsa decernit, quæ enim eveniunt, decrevit. (2) permittit, nisi enim permetteret, non evenirent. (3) Dirigit illa effi-

efficacissimè ad finem certum , adeò ut ex malis bonum é-  
liciat : denique terminos malis ponit , ne ultra vadant ,  
quam ipse vult , & suo tempore justè punit , Job.1.& 2.capp.

### §. VII.

Objiciat hīc aliquis 1. Si Deus peccatum ab æterno  
decrevit , utique homo istud committens extra culpam &  
excusabilis est , quandoquidem voluntati divinæ non valet  
resistere , aut aliter agere , ac Deus ut agat ab æterno con-  
stituit & determinavit . Rom. 9. 19. Responsio : Nihil mi-  
nus quam hoc : Deus enim non decrevit peccatum qua ta-  
le efficere , sed permettere , non impedire , quò minùs  
à creatura rationali patraretur , quamvis illud sub decretum  
æternum cadat quā actio , quæ per se non mala sed bona est ,  
vitium ergò quod actioni inhæret est ab homine & ipsius  
pravitate , non à D E O , qui sanctissimus & perfectissimus :  
atqui omnis impuritas & imperfectio à D E O longissimè re-  
movenda . vid. Stahl. in discurs. super Tab: Metaph. XXIV. de  
perfecto P.95. Quod itaque homo agit , à Deo est , sine  
cujus voluntate ne quidem movere se posset : quod verò  
malè agit , id est à vitio hominis & naturā corrupta . Hinc  
Martyr : Agit quidem Deus ut causa summa , cooperantur  
creatüræ . Loc. Com. Theol. Loc. de causâ peccati p.m. 112.  
Imò in peccato potius quærenda causa deficiens , quæ vo-  
luntas humana est , quam efficiens , quæ non datur . Siqui-  
dem peccatum ἀνομία dicitur , i.e. defectio , declinatio seu dis-  
crepantia à lege . Peccatum itaque committere , non aliud  
est , quām à lege recedere : Peccatum autem quatenus decli-  
natio à lege i. à Deo non probatur , Zach. 8.17. Psalm. 5.5. &  
sequent. quomodo autem velle & efficere illud poterit , nisi  
sibi ipsi contrarius agat , & alienum à naturā & voluntate  
suā exequatur , quod omnino absurdum . Formalitas ergò

B 3

pec-

peccati non est à D E O , sed ab homine vel Satanā profici-  
citur. 2. Punit Deus peccatum pœnā non tantum tem-  
porali , sed & æternā , si autem à Deo esset peccatum , pro-  
prias actiones plesteret , quod falsum. 3. Spiritus S. eire-  
sistit & perpetuam cum ipso luctam gerit , Rom. 7.23. & 8. 7.  
Gal. 5.17. 4. Perfectissimæ bonæ causæ effectus non potest  
esse malus , Gen. i. Deut. 32. 4. Jac. 1. 17. Quod verò ad péc-  
catum originale , in quo nascimur & concipimur , Psalm. 51.  
Job. 14. 4. Joh. 3. 6. quod à primis parentibus ad totum ge-  
nus humanum derivatur , neque ipsius causa Deus fuit , sed  
protoplastorum voluntas , quoniam enim iis liberum arbit-  
rium bonum & malum indifferenter amplectendi à D E O  
concessum erat , voluntariò non coactè peccatum commi-  
serunt astutiâ Satanæ decepti , malum sub specie egregii  
boni appetentes , Gen. 3. 4. 5. 6. Neutiquam ergò Deo attri-  
buendum , ut qui in perfectâ sanctitate & justitiâ hominem  
creaverat & facultatem dederat in ea persistendi , nisi libero  
arbitrio abusus seipsum in perniciem præcipitem dedisset .  
Hinc Calvinus : Radix inquit peccati originis sive defectionis fuit  
infidelitas , hinc autem emersit ambitio & superbia , quibus annes-  
xa fuit ingratitudo , quod Adam plus appetendo , quam concessum  
erat , tantam Dei liberalitatem quâ ditatus erat , indignè sprevit .  
Hæc verò prodigiosa fuit impietas , terræ filio parum videri , quod  
ad similitudinem Dei factus esset , nisi accedat æqualitas . Instit.  
Christ. Rel. 1. 2. cap. 1. § 4. Interim notandum Deum non  
tanquam otiosum adspectorem hanc defectionem protopa-  
rentum ad spexisse , sed ita disposuisse & direxisse , ut in glo-  
riam immensæ misericordiæ & Sanctissimæ suæ justitiae ce-  
deret . Non enim Deus permisisset malum , nisi majus bo-  
num inde elicere potuisset , Prov. 16. vs. 4. Accedit , quod  
homo non debuit juxta decretum Dei , seu peneplaciti vo-  
lunta-

Iustitatem actiones suas instituere, sed signi, quam voluntatem Deus homini revelaverat.

### §. VIII.

Quæri (2) possit: Quum Deus permittit malum culpæ, seu peccatum, qui tamen id possit facillimè impedire, annon hoc pacto autor peccati fiat? Resp. Minimè siquidem sciendum 1. Deum quidem permettere peccatum, sed non efficere illud nevè approbare. 2. Nulla lege, nullo jure obligatus est impedire malum culpæ, quippe est agens libertimum nullis legibus subjectum, cui non solum omnes leges sed etiam natura ipsa subjecta est ut Domino summo: quis verò dicet ei quid facis? Es.45.9. Rom.9.20. 3. permittere & dirigere ad bonum finem. Exemplo est Satanæ Jobum affligens, aut Judas prodens Sospitorem nostrum Jesum Christum, Job.1.& 2., Matth.26. vs.1. & seqq. Act. 1. 2 & 3. capp.

### §. IX.

Tríplicem Theologi statuunt Providentiam Dei, ratione captus humani habitâ: Universalem, Communem, Particularem.

### §. X.

I. Universalis est, quâ Deus omnes omnino rescurat, iisque providet, eas conservando, gubernando & destruendo, Genes.6. 19. Esa.45.17. Ephes.1.11. Objectum hujus universalis providentiaz, sunt æquè parva ac minima, quâm maxima & medioxima. Extendit enim se ipsa non tantum ad generalem mundi & cœli administrationem, d. & ad omnium rerum in specie etiam minimarum, Matth.6. 26. 28. Luc.22.24. 27. Psal.104.27. 28. Sap.12.13. Psal.147. v.8. 9. Job.39.3. Jon.4.7. 10. Heb.1.3. Jerem.5. 24. Matth. 10. 29. 30. Psalm. 65. 7. Eccles. 1. 4. adeò diuinam Pro-  
viden-

videntiam nihil subterfugit, cuius curam non habeat. Conservat autem & gubernat Deus omnia in sui gloriam primariò: Secundariò autem in impiorum pœnam, & salutem atque utilitatem temporalem piorum. Sap. 16. 22. 23. 24. Debet hic aliquis, indignum esse Deo vilissimas etiam res in mundo curare: Cui sic respondeo: Si Deo non fuit indignum eas creare, neque indignum erit easdem gubernare & conservare. Falsum itaque est quod aliqui statuunt, Deam aliquarum rerum curam à se declinare propter earum indignitatem. Neque potest nonnulla non curare propter ignorantiam, quasi omnia mente sua non queat assequi, quandoquidem ipsius sapientia fines non habet, quidquam ipsum non latet omnia aperta sunt coram eo, omnia novit ad minimum; ubique enim praesens intuetur omnia. Hinc David Psal. 139. 7. quo irem à Spiritu tuo? aut quō à facie tuā fugerem &c. vide etiam, Amos. 9. 2. 3. &c. Quod si jam omnia norit, inquit Martyr: vel ea regit omnia, vel multorum curam abjicit; Si quarum curam abjicit, id proterea facit, vel quia non vult, vel quia non potest eorum curam gerere. Si non potest, non est potentissimus; si nolit, non est optimus? Negare autem DEUM potentissimum & optimum esse, id est planè eum negare esse DEUM. Superest ergo, Deum omnibus rebus providere & quidem singulis earum specibus & individuis. Justin. Martyr. Loc. Com. Theol. Class. 3. loc. 1. de prædestinatione p. m. 824.

### §. XI.

II. Communis quæ spectat homines in hâc vitâ æquè impios ut pios, qua Deus iis prospicit & benefacit, eosque conservat atque regit; earum etiam actiones dirigit, certos iisdem terminos ac limites ponendo, quos transgredi nequeunt, Matth. 5. 45. Act. 17. 25. 28. Exod. 14. 24. 25. 27. 28.

### §. XII.

## §. XII.

III. Particularis est, quæ homines respicit in statu post vitam hanc diverso : Partes ejus potissimum duæ sunt (1) *Prædestination*, quâ Deus hominem non tantum ad finem prædestinavit, sed etiam ad media, (2) *Executio*, quâ Deus agit cum hominibus sicut ab æterno decrevit.

## §. XIII.

*Prædestinationis species duæ sunt; Electio & Reprobatio.* Electio, quâ prædestinavit Deus quosdam ex genere humano lapsi ex merâ gratiâ ad æternam vitam in Christo, per fidem obtainendam, Ephes. 2. vs. 8. 9. Philipp. 2. 13. ad patefaciendum in iis immensam suam misericordiam : Et ut consequantur finem hunc, in tempore Deus ipsos vocat per verbum & sacramenta externè, & internè per Spiritum sanctum, qui per verbum & Sacramenta in cordibus ipsum fidem salvificam operatur : Externa per verbum vocatio competit etiam reprobis quibusdam ; Interna vero efficax solis electis, quia hæc nota est infallibilis electionis ad æternam salutem. Destruitur hoc ipso eorum sententia, qui volunt gratiam universalem : quæ si esset, non datur Electio, quæ est fidelium ab infidelibus separatio : Deinde universalis etiam omnium daretur finis necessariò, non distinctus. *Objectum Electionis* est homo lapsus, neque alias quam lapsus in decreto prædestinationis fuit consideratus, alias enim non potuisset fieri electio. Facta autem hæc Electio ex gratiâ & mero Dei beneplacito : nihil enim Deus in prædestinando homine ad salutem æternam invenit boni, quo permotus esset ad eligendum ipsum, imò potuisset Deus bono jure cum impiis etiam reliquos homines omnes, ut ejusdem farinæ massam, abjecisse. Rejicimus

C

pro-

propterea 1. doctrinam illam, quæ bona opera commendat tanquam meritoria, quibus possit consequi & promereri vita æterna, aut propter quorum prævisionem homo à Deo sit electus ad salutem. Quin imò si nihil aliud, quam operum præmium ferendum esset, certè in universum omnes æternam referrent damnationem. 2. eo ipso etiam eorum destruimus sententiam, qui dicunt, Deum elegisse hominem propter fidem in ipso prævisam; quum potius ad fidem & inculpabilem vitam ipsum elegerit, tanquam ad aliquem finem, non tanquam propter causam prævisam ad vitam æternam. *Reprobatio*, quâ Deus ab æterno decrevit plurimos homines relinquere in peccatis suis, & propter ea ad æternam mortem destinare, quo suam in peccatoribus puniendis declararet sanctissimam justitiam.

#### §. XIV.

*Finis in Electionis & reprobationis opere respectu Dei principalis, est Gloria immensa Misericordiae, Ephes. 1. vs. 3. 4. 5. 6. Rom. 9. 23. & sanctissimæ ejus justitiae, Rom. 9. vers. 17. & 22. Hominum respectu: Electorum æterna felicitas & beatitudo atque ipsa gloriæ istius ineffabilis fruitio perpetua, Johan. 5. vs. 29. Dan. 12. vs. 2. 3. Apocalypsi. 7. vs. 14. 15. 16. 17. Reproborum æterna miseria & calamitas in infernali igne sustinenda, Matth. 25. vs. 41. 46. Apocal. 6. vs. 15. 16. 17. & cap. 14. vs. 10. 11. & 20. vers. 15.*

#### §. XV.

Sunt in hâc de Providentiâ Dei doctrinâ multa, quæ  
capitu

captu nostro humano, utpote divina, assequi vel complecti non valeamus, quæque non sine periculo discutiuntur: quapropter etiam tutius fore existimavi, huic disputationi finem imponere. Præstat enim arcana Dei humiliter potius adorare, quam curiosius scrutari: Davidis exemplo Psalm. 36. vs. 6. 7. & Pauli Rom. II. vs. 33.. Ipsi igitur ut soli sapienti ac justo Deo, qui universa disponendo præscivit, & præsciendo disposuit, sit Laus & Honor & Gloria in omne ævum.

## F I N I S.

### I.

*Ad Ornatisimum atq; Doctissimum  
AUTOREM ET RESPON.  
D E N T E M.*

**I**nter tam multos Tibi qui gratantur amicos,  
Quanquam perpaucis, gratulor ipse simul.  
Hos ideoq; inter numeres, popularis, amicum  
Memet, nam mea sunt cuncta parata Tibi.

*Sic accinere voluit*

GEORGIUS HESELERUS,  
p. t. Phil. Stud.

C 2

II. No-

## I I.

**N**obilis heu semper mens grandes excipit ausus,  
Et Fortem meritò Sors sua, quemq; juvat.  
Multos jam videoas Forti qui Marte triumphant,  
Plures victores Arte vigente vides.

Scilicet in causa est Lex, (Artis quæ Auxiliatrix)

Hac florente Ars stat: Mars retro currit atrox.  
Ast o felices, qui excellunt Marteç; & Arte,

Lege hi conjuncti magnificè heu superant!

Anhaltina igitur Tellus ter concelebranda

Patres quæ Patriæ Martis adinstar habet.

Qui non Marte solum norunt pugnare, sed Arte  
Excellunt etiam, Legeq; cuncta regunt.

O igitur multum mi HERRI Doctissime, gaudε,  
Horum qui exemplar persequi adiugq; studes.

Ausus insignes capis heu! cum Marte duellum  
Instituis, sacrâ ast Arte paratus ovas.

Leges perlegito sacras, oracula volve

Diva, quibus toto deditus es cum animo.  
Sic Lex Te Patriæ cathedræ ad subsellia tollet,

Mars tristis vietus sum: Arsq; trophyæ canet.

Sic in intimam animi benevolentissimi  
tesseram ludendo aggratulabatur

JOHANNES NAVCKIVS  
Cohen: Anhaltinus.

III. Mel-



## III.

**S** Auf Fama / lauf hole den guldnen Wagen /  
**S** Und spanne geflügelte Pferde das für /  
 Lass laussen/lass fliehen/lass selbige jagen/  
 Zu tragen bisz an die besternete Zier /  
 Herr HERREN sein Eugend begabtes Gemühte /  
 Den heiligen Christen ergebenen Fleiß /  
 Den Er uns bezeiget das muntre Geblühte  
 An jehigem Orthe mit loblichen Preis.  
 Deswegen mein treuer und wehrter Bekanter!  
 Zu solchem und anderen rühmlichen Werck /  
 Der höchste Gott wolle/als frommen Verwalter /  
 Verleihen Verständniss und kräftige Sterck.  
 Dieses wenige setzt aus crew ge-  
 neigtem Gemühte hinzu

LEONHARDUS JANUS  
 Ballenst. Anhalt.

## IV.

**M**elpomene placido nascentem lumine Diva,  
 Quem semel aspexit, labor hunc non Isthmius  
 unquam  
 Clarabit pugilem, non impiger huncce caballus

Eleo

Eleo in curru victorem ductit et unquam.  
 Cernere quæ nunc est in te sententia vera  
 HERRI, nam postquam neglexisti cuncta profana,  
 Sic sacro semper voluisti incumbere verbo;  
 Ut dignè docti nomen merearis, amice,  
 Gratulor ergo tuis studiis, ut laurea Phœbi  
 Condecorat Te, perge, feres preciosa brabæa.

*Hac ut raptum, sic inconcinnè  
 accinuit*

DETMARVS KNORR, Cell:Saxo.

## V.

**O**τιδὲν ἄνευ καμάτης πέλει ἀγδεσιν ἐυπέλεις ἔργον  
 Τοῖσδε βροτῶς, πόνῳ ἀλλὰ πολὺς τὸ δρεπῆν μέγ' ὁφέλαι.  
 Τοῦτο ἔχει βλέπειν νῦν Ἡρόει φίλατε ἐν σοι,  
 Ἡμερέων καὶ νυκτερεύων καλὰ γέρμιμαθ' ὅς ἄσκεις,  
 Ἐυχεμψις ἐγώ, ὡς εἴ φέρῃ καρπὸν μελιτηρὸν  
 Σειο πόνῳ, Δάκυης ὑγιῶς τὸν ἀλείονα κυρὸν.

*Tοῦτο τῆς καλοκαρδίας ἐνεκα  
 προσελίθη*

ARETINUS RUPITIUS, Ascaniâ  
 Saxo.

## V I.

**S**ophia freue dich! weil HERRIUS lässt hören/  
 Heut seinen flugen Sinn/dies bringet ihn zu Ehren/  
 Treib ihn nur immer fort/reich ihm die Ehren, Kron/  
 Für seine Müh' und Fleiß zu rechter Zeit zu Lohn.

*Dieses setzt hinzu aus schuldiger Pflichte  
 in geschwinder Eil*

Johannes-Ernestus Jäger/Dessâ-Anhaltinus.

VII.

## V I I,

**E**uge meo meritó dilecto grator amico.  
 Quem studiis Musæ excoluère suis?  
 Euge meo sincero grator Sympatriotæ,  
 Scandit qui doctus, theologicam cathedram:  
 Qui clarè nobis proponit lemmata diâ,  
 Et vincit pugnans arte bonâ Sophiæ.  
 Sic perge in studiis, Deus adsit, iterq; secundet,  
 Sic olim studiis digna trophæa feres.

*Paucula hæc amico suo chariss.  
 festinante calamo apponebat*

Johannes-Andreas Osterburgius, Coth. Anhalt.

## VIII.

**S**Edula jam multos Ceres exercet in agris,  
 Horrea frumento qui cumulare volunt.  
**T**UBERNHARDE tuis verò inpallescere Musis  
 Mavis, atq; bonos consuluisse Sophos.  
 Sed quos cœpisti, constans pertexe labores,  
 Sic tandem victor gaudia longa metes.  
 Interea voveo, Deus ut tua cœpta secundet,  
 Suppeditetq; tuis auxilium studiis.

*Popularitatis & amicitiæ  
 ergò apposuit*

Petrus-Rudolphus Lezium, Phil. St.



1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100  
101  
102  
103  
104  
105  
106  
107  
108  
109  
110  
111  
112  
113  
114  
115  
116  
117  
118  
119  
120  
121  
122  
123  
124  
125  
126  
127  
128  
129  
130  
131  
132  
133  
134  
135  
136  
137  
138  
139  
140  
141  
142  
143  
144  
145  
146  
147  
148  
149  
150  
151  
152  
153  
154  
155  
156  
157  
158  
159  
160  
161  
162  
163  
164  
165  
166  
167  
168  
169  
170  
171  
172  
173  
174  
175  
176  
177  
178  
179  
180  
181  
182  
183  
184  
185  
186  
187  
188  
189  
190  
191  
192  
193  
194  
195  
196  
197  
198  
199  
200  
201  
202  
203  
204  
205  
206  
207  
208  
209  
210  
211  
212  
213  
214  
215  
216  
217  
218  
219  
220  
221  
222  
223  
224  
225  
226  
227  
228  
229  
230  
231  
232  
233  
234  
235  
236  
237  
238  
239  
240  
241  
242  
243  
244  
245  
246  
247  
248  
249  
250  
251  
252  
253  
254  
255  
256  
257  
258  
259  
260  
261  
262  
263  
264  
265  
266  
267  
268  
269  
270  
271  
272  
273  
274  
275  
276  
277  
278  
279  
280  
281  
282  
283  
284  
285  
286  
287  
288  
289  
290  
291  
292  
293  
294  
295  
296  
297  
298  
299  
300  
301  
302  
303  
304  
305  
306  
307  
308  
309  
310  
311  
312  
313  
314  
315  
316  
317  
318  
319  
320  
321  
322  
323  
324  
325  
326  
327  
328  
329  
330  
331  
332  
333  
334  
335  
336  
337  
338  
339  
340  
341  
342  
343  
344  
345  
346  
347  
348  
349  
350  
351  
352  
353  
354  
355  
356  
357  
358  
359  
360  
361  
362  
363  
364  
365  
366  
367  
368  
369  
370  
371  
372  
373  
374  
375  
376  
377  
378  
379  
380  
381  
382  
383  
384  
385  
386  
387  
388  
389  
390  
391  
392  
393  
394  
395  
396  
397  
398  
399  
400  
401  
402  
403  
404  
405  
406  
407  
408  
409  
410  
411  
412  
413  
414  
415  
416  
417  
418  
419  
420  
421  
422  
423  
424  
425  
426  
427  
428  
429  
430  
431  
432  
433  
434  
435  
436  
437  
438  
439  
440  
441  
442  
443  
444  
445  
446  
447  
448  
449  
450  
451  
452  
453  
454  
455  
456  
457  
458  
459  
460  
461  
462  
463  
464  
465  
466  
467  
468  
469  
470  
471  
472  
473  
474  
475  
476  
477  
478  
479  
480  
481  
482  
483  
484  
485  
486  
487  
488  
489  
490  
491  
492  
493  
494  
495  
496  
497  
498  
499  
500  
501  
502  
503  
504  
505  
506  
507  
508  
509  
510  
511  
512  
513  
514  
515  
516  
517  
518  
519  
520  
521  
522  
523  
524  
525  
526  
527  
528  
529  
530  
531  
532  
533  
534  
535  
536  
537  
538  
539  
540  
541  
542  
543  
544  
545  
546  
547  
548  
549  
550  
551  
552  
553  
554  
555  
556  
557  
558  
559  
559  
560  
561  
562  
563  
564  
565  
566  
567  
568  
569  
569  
570  
571  
572  
573  
574  
575  
576  
577  
578  
579  
579  
580  
581  
582  
583  
584  
585  
586  
587  
588  
589  
589  
590  
591  
592  
593  
594  
595  
596  
597  
598  
599  
599  
600  
601  
602  
603  
604  
605  
606  
607  
608  
609  
609  
610  
611  
612  
613  
614  
615  
616  
617  
618  
619  
619  
620  
621  
622  
623  
624  
625  
626  
627  
628  
629  
629  
630  
631  
632  
633  
634  
635  
636  
637  
638  
639  
639  
640  
641  
642  
643  
644  
645  
646  
647  
648  
649  
649  
650  
651  
652  
653  
654  
655  
656  
657  
658  
659  
659  
660  
661  
662  
663  
664  
665  
666  
667  
668  
669  
669  
670  
671  
672  
673  
674  
675  
676  
677  
678  
679  
679  
680  
681  
682  
683  
684  
685  
686  
687  
688  
689  
689  
690  
691  
692  
693  
694  
695  
696  
697  
698  
699  
699  
700  
701  
702  
703  
704  
705  
706  
707  
708  
709  
709  
710  
711  
712  
713  
714  
715  
716  
717  
718  
719  
719  
720  
721  
722  
723  
724  
725  
726  
727  
728  
729  
729  
730  
731  
732  
733  
734  
735  
736  
737  
738  
739  
739  
740  
741  
742  
743  
744  
745  
746  
747  
748  
749  
749  
750  
751  
752  
753  
754  
755  
756  
757  
758  
759  
759  
760  
761  
762  
763  
764  
765  
766  
767  
768  
769  
769  
770  
771  
772  
773  
774  
775  
776  
777  
778  
779  
779  
780  
781  
782  
783  
784  
785  
786  
787  
788  
789  
789  
790  
791  
792  
793  
794  
795  
796  
797  
798  
799  
799  
800  
801  
802  
803  
804  
805  
806  
807  
808  
809  
809  
810  
811  
812  
813  
814  
815  
816  
817  
818  
819  
819  
820  
821  
822  
823  
824  
825  
826  
827  
828  
829  
829  
830  
831  
832  
833  
834  
835  
836  
837  
838  
839  
839  
840  
841  
842  
843  
844  
845  
846  
847  
848  
849  
849  
850  
851  
852  
853  
854  
855  
856  
857  
858  
859  
859  
860  
861  
862  
863  
864  
865  
866  
867  
868  
869  
869  
870  
871  
872  
873  
874  
875  
876  
877  
878  
879  
879  
880  
881  
882  
883  
884  
885  
886  
887  
888  
889  
889  
890  
891  
892  
893  
894  
895  
896  
897  
898  
899  
899  
900  
901  
902  
903  
904  
905  
906  
907  
908  
909  
909  
910  
911  
912  
913  
914  
915  
916  
917  
918  
919  
919  
920  
921  
922  
923  
924  
925  
926  
927  
928  
929  
929  
930  
931  
932  
933  
934  
935  
936  
937  
938  
939  
939  
940  
941  
942  
943  
944  
945  
946  
947  
948  
949  
949  
950  
951  
952  
953  
954  
955  
956  
957  
958  
959  
959  
960  
961  
962  
963  
964  
965  
966  
967  
968  
969  
969  
970  
971  
972  
973  
974  
975  
976  
977  
978  
979  
979  
980  
981  
982  
983  
984  
985  
986  
987  
988  
989  
989  
990  
991  
992  
993  
994  
995  
996  
997  
998  
999  
999  
1000







84 A 6247





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-562961-p0037-7

DFG



84 A 6277

ULB Halle  
006 228 33X

3



kon



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-562961-p0040-3

DFG

# Farbkarte #13

B.I.G.

Black	19
3/Color	18
White	17
Magenta	16
Red	15
Yellow	14
Green	13
Cyan	12
Blue	11
Inches	8
Centimetres	19

THEOLOGICA  
DE  
NTIA DEI,  
am  
ENTE GRATIA,  
SIDE  
do, Clarissimo, Doctissimo  
**FLOCKENIO**  
S. S. Th. D. & ejus-  
schola Bremensi Profes-  
ceptore suo multis  
rnūm colendo,  
ndam proponit  
**S HERRIUS,**  
haltinus.  
Respondens.  
bris, horis locoq; consuetis.  
19  
  
M A,  
LIERS ibidem illustris  
phi, Anno 1658.